





1705, 12

32 -

14

JOH. BERNHARDI ~~G~~riesen / JCTI
CONSILIARII SAXONICI AVLICI
ET CONSISTORIALIS, ANTECESSORIS ET FA-
CVLTATIS IVRIDICÆ ADSESSORIS
IAM DECANI

PROGRAMMA INAUGURALE

in quo

Occasione legis 1. Cod. de Jure Emphyt.

Ablativos absolutos inferre conditionem,
proponitur

LITERIS WERTHERIANIS.

Joh. David Hartung

THE BELLEVILLE
 COLLEGE LIBRARY
 1150 BELLEVILLE AVENUE
 BELLEVILLE, ILLINOIS 62220
 TEL: 618/336-1234
 FAX: 618/336-1235
 WWW: WWW.BELLEVILLECOLLEGE.EDU





Magnam ablativis absolutis in legibus occurrentibus vim ac potestatem non raro tribui nemo facile, qui juri operam dat, ibit inficias. Qui nec communem naturam inde regulam ignorare poterit: *Ablativi absoluti, faciunt, induuntque conditionem, inque conditionem resolvuntur.* Ut ut verò hæc ipsa norma verbis disertè reperitur nullibi: eam tamen per interpretationem elici, Dd. variorum confirmatur autoritate. Sic Faber in *Cod. tit. de Rei Vind. def. 15.* inquit: *Jussus rem petitam cum fructibus restituere DEDUCTIONE TAMEN PRIUS FACTA IMPENSARVM NECESSARIARVM VEL UTILIVM, habet utique non solum ex judicato sed ex ipsa etiam juris ratione jus retentionis in id usque tempus, quo expensa ille & taxata sint & soluta. Quoniam ablativi illi absoluti, DEDUCTIONE FACTA &c., important conditionem l. à testatore 109. ubi Bart. ff. de cond. & dem. l. acceptis 93. ff. ad Leg. Falc. l. deducta 58. in pr. & §. acceptis ff. ad Sctum Trebell.* Per ablativos autem absolutos quid intelligere soleant, dans la Nouvelle Methode de Messieurs du Port Royal pag. 335. videre est:

On appelle ABLATIF ABSOLU celuy qui est seul, & comme independant dans le discours. Quod in *The-
saur. ax. Jurid. Tab. lib. 1. c. 1. ax. 1.* declarat: *Volunt au-
tem hoc Dd. quando duo casus ablativi absolute sint posi-
ti, sine regimine alterius vocis, qua in constructionis ordi-
natione regantur, & consequentiam denotent, seu aliud
sequatur sententiam perficiens, quod tum conditionem in-
ferant.* Puto quidem futurum ut sufficienter hisce quid
ablativi absoluti importent significetur, sed eos non re-
gi non est extra omnem dubitationis aleam positum.
Nam subintelligi aliquam in illis præpositionem *sub, de*
vel aliam luce meridiana inde clarius est, quod etiam illa
non raro apponatur ablativis. Sic Ovid. *sub te censore.*
Virgil. *sub te magistro.* Plaut. *in re perditâ.* Ovid. *superato
victor ab hoste.* Verum litem hanc Grammaticis diri-
mendam relinquimus. Sed hos ablativos sua vi non
duntaxat conditionem inferre, conditionalem disposi-
tionem facere, & in conditionem resolvi, sed inducere
etiam necessitatem contendunt. Propter quam in ablati-
vis illis deprehensam necessitatem Bachov. sententiam,
qua ad legitimationem per subsequens matrimonium,
dotalia Instrumenta necessaria esse asseritur, ad §. *ult.*
Instit. de Nupt. amplexus & tutatus est, & aliter sen-
tientes se ad Treutl. *part. 1. diff. 2.* incaute & impru-
denter secutum ingenue fatetur & dolet. Quemad-
modum vero conditionem inducere, aliud significat ni-
hil, quam illud, cui adjunguntur ablativi, ante non obti-
nere, quam si in ablativis positum fiat vel factum sit;
ita inducere necessitatem est requirere, ut id quod dispo-

dispo-

disponunt, velut alia quælibet propria conditio præcise, & in formâ specificâ adimpleatur, non vero per æquipollens *l. 44. & l. 55. de cond. & demonstr.* Quasi de ablativorum natura sit, importent non solum conditionem; verum etiam formam inducant, quæ impleatur informa specifica. Hering. *de fidej. l. 10. n. 456. & seqq.* Quam opinionem diversis illustrare exemplis consueverunt. Sic Hering. *de fidej. cit. loc.* ad sequentem casum, *si forte statutum vel lex vel decretum alicujus judicis aut ritus cujusdam curia extet, præcipiens, quod hoc vel illud fieri, admitti aut concedi debeat, nisi in tali causa vel negotio, prius præstita fidejussione, num opus sit, ut omnino præstatio fidejussionis precedat; vel an sufficiat si sequatur?* Respondet, eam præcise & necessario præcedere debere, ideo quod locutio fiat per ablativum absolutum. Observandum porro etiam atque etiam est, quod allatam de ablativis absolutis opinionem non duntaxat viri legalis scientiæ laude maxime conspicui & celebratissimi propugnent, verum insuper manifestis videatur comprobari jam tum supra citatis & aliis legibus. Inter quas primum occupat locum *l. 109. ff. de cond. & demonstr.* ubi à testatore rogatus ut *acceptis centum nummis restitueret hereditatem Titia coheredi suæ*, heres Titia offerendo centum partem hereditatis consequi non potest. Cujus Controversiæ decisio cum Glossa non est attribuenda Claudio, qui in *l. vero 58. ff. de adm. tut.* Claudius Triphoninus appellatur, & qui annotationes ad Scævola[m] scripsit, ut patet ex inscriptione *l. 38. ff. de legat. 3.* Sed ipsi Scævola[c]e cujus Sententiam Claudius

dius in notis approbavit, addita dubitandi ratione quod
posset dubitari an in proposito conditio esset. Scilicet ideo
 de testatoris dispositione dubium movebatur, quod ei-
 dem esset præmissa particula UT quæ alias modum non
 conditionem significat; Sed placuit Scavolæ, quod con-
 firmavit Claudius Tryphoninus, continere voluntatem
 testatoris conditionem non modum. Multum vero in-
 terest sub conditione an sub modo aliquid sit relictum.
 Illud ad heredes honorati ante conditionis impletio-
 nem mortui, non transmittitur neque debetur *l. 4.*
§ 5. ff. quando diss. legat. vel fideie. ced. l. un. §. 7. C. de
cad. toll. Hoc vero ad heredes transit quia purum est
l. 19. ff. de leg. 3. l. 40. §. ult. § l. 18. ff. de cond. § dem.
 Merebatur itaque decisionem propositus *in l. 109. ff. de*
cond. § dem. casus. Fundamentum vero Decisionis
 Scavolæ non aliud esse arbitrantur Doctores, quam quod
ablativi reperiantur *absoluti* qui conditionem & neces-
 sitatem inferunt. Particula vero UT non importat
 modum quando ex verbis testatoris constat, prius esse
 parendum oneri, quam legatum debeat, maxime
 cum *in d. l. 109.* non afficiat ablativos, sed subsequencia.
 Omnium optimus videtur esse Interpres Justinianus Im-
 perator, qui ablativos absolutos *dotalibus instrumentis*
compositis §. ult. Inst. de nupt. contentos, his verbis *in*
§. 2. de hered. que ab Intest. defer. declarat: *etiam nuptia-*
lia Instrumenta cum ea fecerit quibus ostendit ad legiti-
 mationem per subsequens matrimonium non sufficere
 nuptias, sed *etiam nuptialia instrumenta* necessaria, adeo-
 que ablativos absolutos *in §. ult. de nupt.* inferre neces-
 sariam.

fitatem. Idem sane iudicium de ablativis in l. 1. C. de jur. empb. scil. interveniente scriptura iudicium ferendum est; nimirum ad Emphyteusios constitutionem consensum haut sufficere, sed & scripturam intervenire necesse esse. Nullus sane istorum ablativorum potest esse sensus alius, neque adferri ratio alia ob quam Imperator scripturam fecisset mentionem. Propter probationem emphyteusios hoc esse factum ineptum esset, cum scripturam ad probationem pertinere, neque novum neque controversum fuerit per, l. 1. & passim ff. de fid. Instrum. Imo si spectet ad probationem non tamen ad illam solam exigitur. Insuper quædam quæ natura sua tantum ad probationem directa sunt, possunt per legem fieri essentialia actus: veluti cum placuit ut in scriptis contrahatur pr. Inst. de emt. & vend. l. 17. C. de fid. Instrum. Nec negari potest testium numerum in ultimis voluntatibus, utcumque sit etiam solennitatis, pertinere ad probationem, nec enim aliam ob causam tot solennitates & inter eas etiam testes requiruntur, quam propter testamentorum sinceritatem, ut nulla fraus adhibeatur §. 4. Inst. de test. ordin. Neque adeo legis potestas est limitata ut actui aliquid addere nequeat, quod ad ejus essentiam alias non pertinet. Adeoque utut ante constitutionem Zenonis emphyteusis consensu constituta, uti probabiliter asseritur per §. 3. Inst. de emt. & vend. illud tamen à Zenone Imperatore immutatatum. Porro licet ablativis illam conditionem quis deneget, menti tamen Imperatoris hoc tribuendum esse legenti patet. Sane si Emphyteusis solo consensu perficeretur, dari non posset

posset ratio quare Imperator eam §. un. *f. de obl. ex conf.*
 inter contractus consensuales non retulisset, cum tamen
 ejus in §. 3. *f. de loc. & cond.* mentionem fecerit. Quo-
 modo insuper Bachovius ad Treutl. *disp. 29. th. 9. lit. D.*
 laudare Glossam eamque sequi audeat, his verbis: *veris-*
sime Gl. in d. l. 1. C. de jur. emph. non prohibet, inquit, fieri
sine scriptis licet fieri dicatur in scriptis, vix percipio. Ejus-
 modi enim assertio tanquam *l. 17. C. de fid. Inst.* omnino
 contraria, toleranda non videtur. Angelus ad §. 3. *Inst.*
de locat. & cond. asserit hoc in hoc contractu speciale
 esse quod scriptura requiratur & hujus hanc assert ex Sa-
 licet. rationem: *quia datur res in Emphyteusin ut perpe-*
tuo sit apud accipientem quam de facili accipiens & ejus
heredes possunt dicere suam, facit l. un. C. de præsc. 30. ann.
& memoria hominis tam dantis quam testium est labilis
igitur fuit introductum ut scriptura deberet intervenire.
 Sed illa ratio præsupponit omnem emphyteusin perpe-
 tuam esse, quod tamen ad ejus essentiam nequam re-
 quiritur. Et præterea scriptura non ad essentiam ipsius
 rei aut juris acquisiti pertinet, sed ad essentiam actus
 transitorii, id est, ut Bachov. *cit. loc.* tradit, contractus
 dum fit & celebratur, & quod postea accidit, ejus essen-
 tiam aut effectum semel legitime constitutum tollere
 non potest: Et fuisset Imperator magis sollicitus de con-
 tractus probatione quam ejusdem constitutione. Mo-
 res verò à Zenonis constitutione recedere atque sine
 scripturæ interventu contractum hunc celebrari, Bartol.
 in *d. l. 1. C. de jure emphyt.* & cum eo alii quidem testan-
 tur. Ast secundum Imperatoris constitutionem semper
 esse

esse iudicatum refert Angelus ad §. 3. *Inst. de loc. & cond.*
 Et Clarus lib. 4. §. *Emphyteusis quasi. 4.* de contraria illa
 consuetudine h. m. scribit : *Ego tamen non puto ita*
absolutè verum esse, quod hac opinio sit recepta à consue-
tudine, & multi etiam Doctores attestantur se vidisse con-
trarium observari, præsertim Aret. in d. §. adeo n. 8. pro-
pterea crederem melius esse in practica adberere communi
opinionì, quæ etiam tutior est & æquior: nisi in specie appa-
reret in eo loco, in quo contingeret hoc deduci in controver-
siam, contrarium observari: hoc enim casu non esset ab
hujusmodi consuetudine & observantia recedendum.
 Idem sentit Schneidevv. ad §. 3. *Inst. de loc. & cond.* Sed
 ablativos hos absolutos prolixius perfequi instituti ratio
 prohibet, prætermissa supplebit Clarissimus Dominus
 Candidatus utriusque Juris

JOHANNES DAVID HARTUNGUS

Solum, quod genuit Candidatum nostrum est ager Hö-
 henleiba in terra Nariscorum, ubi ex legitimò thorò an-
 nò recuperatæ salutis 1710 170 LXXIII. d. XI. Decembr.
 communem hanc lucem primùm adspexit. Pater ejus est
 Vir dexterrimus, JOH. DAVID HARTUNGUS, qui
 Cantoris munere per multas annorum periodos ibidem
 fideliter defunctus est, atque hodiernum Ecclesiæ Christi
 & Scholæ operam suam locat. Mater illius quondam
 dilecta, jam quæ beatam mortem obiit, fuit SABINA
 SOPHIA nata Mülschnerin. Postquam Sanguine Sal-
 vatoris nostri in sacro Baptismatis fonte initiatus, à par-

B

vò

vò puero ad pietatem & literas educatus est, tam à Parentibus suis, quàm à Præceptore domestico litteratissimo, qui per triennium intra lares privatos bonas artes eundem docuit. Deinde Illustri Ruthenéo formandus traditus est, ubi per solidum lustrum ab ore B. M. JOHANNIS FRIDERICI KÖBERI, Polyhistoris celeberrimi, Rectoris, ut & Conrectoris, B. M. JOH. WENDLERI, Philologi clarissimi, sedulus auditor pependit. Hinc de consensu Dnn. Præceptorum suorum, & jussu Parentum ad Acroases nostras Academicas migravit, ubi Viro, Excellentissimo atque Experientissimo, DN. RUDOLPHO GVILIELMO CRAUSIO, Phil. & Med. D. Prax. & Chim. Prof. Publ. Collegii Med'c. Seniore, A. S. R. I. Acad. Nat. Curios. gravissimo, Sceptra Academiæ tenente d. 5. Jan. 1695. Albo Studiosorum ritè insertus est, ubi singulari ardore & studiò discendi industrius tam publicè, quam privatim frequentavit Scholas Logicas, Metaphysicas & Ethicas Viri maxime Reverendi & Excellentissimi Dn. JOH. PAULI HEBENSTREITII, S. S. Theol. D. & tunc temporis Moralium P. P. Ordin. hodiè autem Consilarii Ecclesiastici & Inspectoris Saxo-Vinariensis fidelissimi. Quibus lectionibus ad finem deductis, Collegia publica Juridica intrare cœpit, & publicè quidem in Themidis studio frequentavit lectiones PræNobilissimi atque Excellentissimi Dn. GVIL. HIERONYMI BRÜCKNERI, JCTI & Pandect. Profess. Publ. Ordin. meritissimi, quas habuit ad Schnobellii Dissertationes in Pandectas. Quibus adjunxit prælectiones PræNobilissimi atque Excellentissimi Dn. ADRIANI BEIERI,

JCr

JCti & similiter Pandectarum Prof. Publ. Ordin. celeberrimi ad Institutiones Justin. commentantis, cujus Logicam ab Eodem privatim explicatam quoque audivit. Denique etiam Per-Illustris Domini NICOLAI CHRISTOPHORI S. R. I. Lib. Bar. de LYNCKER, Consilii arc̄. Ducal. Saxo-Vinariensis Præsidis & Supremæ Curix Provincialis, ut & Dicasteriorum, quæ Jenæ habent Sereniss. Lineæ Ernestinæ Duces Saxonix Directoris Ordinarii Diatribus Juris Canonici ad Desselium diligenter frequentavit. Intra parietes privatos autem Viri Illustris & Excellentissimi Domini CHRISTIANI WILDVOGELII, JCti inclyti, Consilarii Saxo-Isenacensis Intimi, Codic. Jur. Publ. & Feud. Prof. Publ. Ord. splendidissimi, ad G.A. Struvii Syntagma Jur. Civil. Commentationes cum cura auscultavit. Cum his combinavit *ἀναπόμνητα* Viri Præ-Nobilissimi atque Excellentissimi Domini JOH. CHRISTIANI SCHRÖTERI, JCti & Prof. Publ. Institut. Justin. explanantis, ut & in Jurisprud. & Syntagma B.G.A. Struvii. Porro Lectiones Nob. D. HENRICI ERNESTI FLÖRCKE, Jur. Utr. Doct. & hodiè Syndici Ecclesiæ Cathedralis Magdeburgensis Collegia Institutionalia Juridica textualia bis, item Jurisprudentiam Summi JCti Struvi, & Syntagma Jur. Feudalis Ejusdem nunquam satis laudati Viri industriè visitavit. Diatribas quoque meas ad Institut. Jur. Justin. per tria Collegia in eadem habita à capite ad calcem usque constanter audivit, posteaque prælectionibus meis in B.Struvii Jurisprudentiam, Schnobelii & Lauterbachii Compendia Pandectarum, & Illustris Stryckii Jus Feudale cupidus Legum auscultator inter-

interfuit. Quibus omnibus atterere ipsi placuit praxin juris, hujusque notitiam sibi comparandi causa in Præfectoris Electoral. Saxonie. Nossenicensi, & Krillenburgensi Tharandiæ anno 1699. & 1700. operam suam haud infessam collocandò commoratus, & tandem annò 1701. huc reversus est, & dictam Praxin Juridicam & Jenensis in curiis, atque in aliis peregrinis locis conspicuis feliciter exercuit, & hodienuum exercet. Cum vero exantlatorum hæcenus laborum fidum ambiret testimonium, præmiumque simul meritum, in utriusque Juris Candidatorum chororum receptus, binis in Examinibus, resolutis eruditè textibus responsionibusque ad interrogata prudenter datis, conformi Inclyti ordinis suffragio dignissimus est judicatus, qui ad publica admitteretur specimina. Qua concessa potestate nixus, cras loco & horis consuetis erudito *l. r. C. de Jur. Emphyt.* illustrabit commentario. Intensus postulat nihil, quam ut hoc peragatur SERENISSIMO PRINCIPI SAXO-VINARIENSI, PRO-RECTORE MAGNIFICO, ILLUSTRISSIMIS COMITIBUS, PROCERIBUS AULÆ ET ACADEMIÆ EXCELLENTISSIMIS, OMNIUM FACULTATUM DOCTORIBUS NOBILISSIMIS, ET NOBILISSIMA STUDIOCORUM CORONA PRÆSENTIBUS. Sui haut iniqui voti ut fiat Compos, Ego humiliter & obnixè rogo. P. P. Jenæ V. Cal. Octobr. M DCCV.



Jena, Diss., 1705 A-SS

ULB Halle
006 839 045

3



VD 18







1705, 12

32-
14

JOH. BERNHARDI *G*riefen / JCTI
CONSILIARI SAXONICI AVLICI
ET CONSISTORIALIS, ANTECESSORIS ET FA-
CVLTATIS IVRIDICÆ ADSESSORIS
IAM DECANI
PROGRAMMA INAUGURALE
in quo
Occasione legis I. Cod. de Jure Emphyt.
Ablativos absolutos inferre conditionem,
proponitur

LITERIS WERTHERIANIS.

Joh. David Hartung

